110

Alexander rex Poloniae de quatuor millibus flor. quietat.

Alexander Dei gratia rex Poloniae magnus dux Lithuaniae, Russiae, Prussiaeque dominus et haeres etc. Significamus tenore praesentium quibus expedit universis. Quia a praeclaris Anna genitrice Stanislao et Joanne filiis ejus ducibus Mazoviae, ad rationem summae Capitalis triginta millium florenorum pro infeodatione ducatuum Mazoviae ad nos regnumque nostrum per mortem praeclari olim Conradi ducis Mazoviae devolutorum praefatis Stanislao et Joanni ducibus gratiose facta, nobis debitae quatuor millia florenorum pro rata Sancti Martini festi proxime praeteriti, recepimus et effective levavimus, de quibus quatuor millibus florenorum eosdem Annam Stanislaum et Joannem duces Mazoviae quittamus perpetuo tenore praesentium mediante. Harum quibus sigillum nostrum est appensum testimonio literarum. Datum in Grodno feria quarta proxima post festum Sanctae Luciae, Anno domini millesimo quingentesimo quinto, regni nostri quinto.

Alexander Dei gratia rex manu propria subscripsit.

Ta Kopia z Oryginału pargaminowego przepisana dnia 22go marca. R. 1785go, u którego dołu na Zawiasce pargaminowey wisi pieczęć.